Annotationes quædam in Fœtum 46. annorum &c.

Fœtum Suevicum 46. annorum, quem curiositati nostræ benignè obtulit Serenissimus Dux Wurtenbergæ, in comitiis suis 7.º octobr. 1732. magnâ cum satisfactione vidit Societas academica Chirurgiæ nuper erecta Parisiis favente Rege Christianissimo: Et hæc sunt quæ post brevem inspectionem cogitavimus de hoc fœtu si quibusdam comparetur. Famosi sunt ejusdem ferè generis duo quos Gallia dedit, Senonensis anno 1682. et Tolosanus anno 1678. non his addimus Mussipontanum si enim Thomas Bartholinus huic non credidit, quis credet! neminem latet (clarissimi viri pace dixerim) quantâ facilitate res multas quæ fidem humanam penè superant in historiis suis rarioribus protulerit, ~~tamen fœtui mussipontano fidem negavit, suspectam, inquit,~~ non pauca reddunt historiam, &c. non idem potest ferri judicium de lithopædio Senonensi cujus historia in dubium revocari nequit, testimoniis fulta bonis quæ legere est ~~[illegible]~~ in Scriptis Albosii et Provancherii ad calcem Rosseti in editionibus latinis Cæsarei partus. Lithopædium hoc transiit fortuito in museum Friderici III. Reg. Danorum ubi inspexit illud et contrectavit Bartholinus: quomodo ad Fridericum pervenerit narrat Licetus. Tolosani fœtus accuratam descriptionem publici juris fecit Professor Bayle,[#] possidet eum Novesius in re anatomicâ clarus, et vidimus in nostris comitiis. Nunc ~~licet~~ liceat cum istis Suevicum prodigium comparare.

[#] Medicus Tolosanus percelebris.

Senonensis fœtus mansit in utero matris 28. annis Tolosanus.

26. Suevicus. 46. Senonensis in utero contentus ipsi adhærebat in pluribus locis, nullis interpositis membranis, imo nullum harum-ce vestigium erat, Tolosanus extra uterum omento adhærebat, membranæ pelli coalitæ materiam quandam Callosam quã investiebatur non ubique densam æqualiter formabant, Suevicus in cavitate utero annexa jacebat, membranæ ipsum involventes crassæ, duræ admodum, et osseæ factæ fœtus domicilium faciunt. Senonensis saxea soliditate induruerat, partes vero internæ erant minus duræ quàm externæ; Tolosanus, visceribus exceptis quæ mollia erant omnino, quasi e cartilagineã substantiã in osseam conversus fuit, Suevicus desiccatus tantùm fœtum mox expirantem sine putredine referebat. In Tolosano ~~difformitas~~ deformitas est satis magna, in Senonensi maxima, Suevicus formam et figuram servavit naturalem. ||| In multis igitur discrepat Suevicus fœtus à cæteris; si revocas osseæ in durationis membranarum, ~~commansionis in utero causas~~ diuturnæ gestationis, et iteratæ graviditatis [illegible], dicere cum Bartholino nobis non indecorum erit, dum de fœtu Senonensi loquitur: Factum admiramur, vias ignoramus, nostra ~~cum~~ siquidem societas observationum avida, ratiocinii parca, esse gloriatur. B.

|||

Sed et illud præ cæteris insigne discrimen annotari maximè meretur, nimirum quod fœtus Suevicus, quamvis spatium uteri cavitati haud exiguum occupare debuerit, ~~nihil de Nihil~~ Nihilominus duplici novorum fœtuum gestationi, incremento felicique intra statutum à naturã tempus exclusioni nequaquam obstiterit, ita ut novi duo fructus ad etatem adultam pervenerent. Demum animadversione dignum haud dubie videbitur quod in intervallis graviditatum fluxus menstruus quolibet mense ad naturæ normam eruperit